

4) Paramentorum, vasorum eccles. etc.
Vd.: *Sacristia* (pro capella etc., decr. *Pauli V.*)

TABERNA.

1) In diebus festis.
Ulixbonen.

In causa tabernariorum et tenderiorum civitatis Ulixbonen. Congregatio Sacrorum Rituum, inhaerendo moderationi constitutionis synodalis Archiepiscopi Ulixbonen. a collectore Portugalliae de mandato ejusdem Congregationis emanatae, Illmo D. Cardinali Millino referente, censuit: tabernarios et tenderios propter maximam populi frequentiam atque alienigenarum ex omnibus orbis partibus ad eam civitatem terra marique quotidie confluentium multitudinem, dominicis et aliis diebus festis etiam ante concionem et missae conventionalis celebrationem omnia ad humanum victimum necessaria vendere posse, dummodo missae et concionis praedictae tempore officinas et tabernas hujusmodi earumque fores velamine aliquo contegant. Die 30. Martii 1621.
(Anal. J. P. 1863 p. 163.)

2) Visitatio Clericorum.

Tabernas ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis, cap.: *Non oportet* 2., cap.: *Clerici* 4. dist. 43. Tabernas habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt, textu expresso in cap.: *Nulli Clerico* 3. dist. 44. ibi: „Nulli Clerico licet Tabernam aut ergasterium habere; si enim hujusmodi Tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit aut cesserat aut deponatur.

TABERNACULUM.

1) Benedicens.

Vd.: *Benedictio* (delegatio, decr. n. 4290.)

2) In Cathedralibus Eccles.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.*)

Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones pontificales, quae fiunt versis renibus ad altare, in parochialibus vero et regul. ecclesiis debet regulariter esse in altari majori tamquam digniori. S. C. Ep. 10. Febr. 1579; 29. Novb. 1594; S. R. C. 24. Nov. 1598. Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (asservationis modus); *Bened. Episcopi* (in altari etc.); *Exposit. SS. Sacram.* (cor. Episcopo); *SS. Sacram. Euch.* (expos. in Pontifical.)

In Ecel. cath. propter functiones pontific., quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen, tabernaculum collocetur. Conc. prov. Prag. 23. Septb. 1860 t. 4. c. 4.; Caerem. Ep. I. I. c. 12. n. 8.; S. R. C. 14. Junii 1845.

3) Clavis.

Baren.

Ad dub.: An claves Baptisterii, sacri Tabernaculi et Olei sancti sint retinenda per Archipresbyterum seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiae et Capituli in casu?

S. C. resp.: Claves Baptisterii et olei s. retinendas esse penes Archipresbyterum, claves vero tabernaculi penes utrumque.

Die 28. Aug. 1756 et 3. Dec. 1757.

Vd.: *Coena Dom.* (clavis pro tab.)

Claves Tabernaculi nec relinqui debent in Sacristia nec a Laico servari sed a solo Sacerdote: S. Cong. Rit. 22. Febr. 1593. Immo ipsas retinere debet Parochus privative ad Sacristam et Capellanum. S. Congr. Concil. in Neapolitana 14. Novembris 1693.

Clavis Tabernaculi, ubi reponitur

Hostia consecrata in fer. 5. Coenae dominicae, non est danda Laico, quantumvis nobilit: S. Congr. Rit. 30. Junii 1616.

Monialibus non committitur Clavis Tabernaculi ss. Sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi: S. Congr. Concilii in Vallisotetana 12. Januarii 1604.

4) Furtum SSmi e tabern.

Vd.: Hostia (furt.); *Pyxis* (furt.)

5) Genuflexio.

Vd.: *SS. Sacrament.* (genufl.); *Missa in altari* ubi est tabern.; *Genuflexio.*

6) Locus et Situs.

Altare ss. Sacramenti diversum esse solet ab altari majori et ab eo, in quo Episcopus vel alius est missam sol. celebratus. Nam ss. Domini Nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, praecellentissimus omnium locus in Ecclesia convenient.

Caer. Ep. I. I. c. XII. n. 8.

Vd.: *SS. Sacram.* (Expos. in Pontif.; Asservatio mod. non licit., decr. diei 21. Aug. 1863.)

Quum sanctam Sedem non lateret, in nonnullis Belgii ecclesiis vel oratoris Augustissimum Eucharistiae Sacramentum non in medio altaris, verum aut in dextera aut laeva pariete in custodia servari eodem modo, quo sacra Olea recondi solent, Sacra Congatio legitimis protuendis Ritibus praeposita, quod attinet ad custodiam SSmi Sacramenti, Sanctitatis Suae nomine omnino prohibet, illud alio in loco servari praeter quam in tabernaculo in medio altaris positum.“

Die 21. Augusti 1863.

Ex decr. Conc. Prov. Colon. diei 17. Maij 1860.

Tabernaculum seu scrinium pro

ss. Eucharistia asservanda sive in altari positum sive extra illud in turri sacramentali exstructum semper secundum Canones et S. Rituum Congregationis decreta sit comparatum, digne et pulchre ornatum et contra sacrilegam furum audaciam probe munatum. (Ibi cap. XXX. De ecclesiis et supellectilibus sacris.) Claves tabernaculi nunquam laico tradantur, nec permittatur, ut ab ullo, qui non sit saltem in subdiaconatus ordine constitutus, illud claudatur vel aperiatur. Tabernaculum saepius sollicite inspicatur, ut si quid pulveris vel immundicie aspersum sit, auferatur et omne periculum irreverentiae amoveatur.

Ex decreto Conc. Prov. Prag. die 23. Septembris 1860.

De loco quo asservandum SSimum.

Cum Corpus Domini in uno tantum ejusdem ecclesiae loco ab Episcopo designando custodiri debeat, locus tabernaculi eligatur tum ratione totius sacrae structurae tum ad exhibendam tanto Sacramento venerationem aptissimus, omnino conspicuus et nobilissimus. Idecirco servetur Ritualis Romanii rubrica praecipiens, ut tabernaculum in altari majori utpote loco ecclesiae digniori vel alio, quod venerationi et cultui sacrae Eucharistiae commodius ac decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum alii sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. (Tit. V. c. V. De tabernaculo ss. Eucharistiae.)

Hinc in Ecclesiis cathedralibus propter functiones, quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen collocetur.

Confratribus Societatis Misericordiae non licet tabernaculum in eorum altari Oratorii. N. 1927 die 7. Septembris 1658; idem decr. pro Confrat.

s. Rosarii Burgi n. 3910 ad 5. die
9. Julii 1718.

Ad dubia Episcopi Sarnensis:

1) An pro tabernaculo intelligi tan-
tum debeat id, quod in majori aut
altero alicujus Capellae altari fixum
est, ut inibi servetur continuo SSrum?
et quatenus affirmative,

2) an licet Regularibus uti taber-
naculo amovibili vel portatili illudque
ad eorum libitum in quocunque Ec-
clesiae propriae altari collocare ac
ibi exponere sacram pyxidem, e solo
tabernaculo fixo extractam?

S. C. resp.: Licere de consensu
Episcopi. N. 3162 die 10. Julii 1688.

Vd.: *Instructio Clem.* §. 5. n. 2. 3.
§. XXXI. n. 24.; *Tabernacul.* (In Ca-
thedral.)

In Ecclesia regalis Monasterii s.
Laurentii Excurialensis adest in altari
majore Tabernaculum ex lapide pre-
tioso, in quo continetur alia capsula
eximior, in qua asservatur SSrum
Sacramentum, sed cum in pariete post
Tabernaculum sit una fenestra, quae
illuminat duo Tabernacula praedicta et
ista habeant ante et retro fenestellas
cum cristallo taliter, quod ex qualibet
parte Ecclesiae videatur clare et
distinete Vas, in quo est inclusum
SSrum Sacramentum, et cum hoc
videatur inconveniens, quaeritur: Utrum
praedictum Vas debeat permanere, ut
dictum est supra, vel debeat cooperiri
aliquo velo, ut non videatur?

S. eadem C. in hanc formulam re-
scripsit, nempe: „Negative ad primam
partem; affirmative ad secundam atque
ita obtegendum esse Tabernaculum, ut
Vas, in quo SSrum Eucharistiae Sac-
ramentum asservatur, a circumstantibus
nullo modo videri possit.“

Atque ita decrevit et servari man-
davit die 20. Sept. 1806. N. 4505.

Romana.

In Basilica et parochiali Ecclesia
sancti Marci Urbis mos invaluerat
paschali temp. inter gradus ex utraque
parte Arae principis positos, per quos
ad chorum et ad Aram ipsam ascen-
ditur, collocandi Altare portatile et super
illud Tabernaculum, in quo recondebat
SSrum Eucharistiae Sacramentum
pro commoditate communicantis populi,
adeo ut ex his rerum adjunctis illud in-
conveniens exureret ut Altare ipsum
Aediculam pro repositione SSmi Sa-
cramenti non efformaret ad tramites
Caer. Ep. I. I. cap. 12. §. 8., nec
decentiae illius satis consuleretur, ex
eo potissimum, quod Mensa Altaris
portatilis plano chori plene coaequaretur
et in hujus conspectu passim celebra-
retur Sacrum ac s. Synaxis petentibus
et accendentibus ministraretur, contra
jus passim editum in Decretis S. R.
C. Eapropter hoc advertentes Cano-
nici moderni Sacristae, decorem Do-
mus Dei sedulo quam provehant, ut
omnia recto ordine eadem in Ecclesia
serventur atque ut offendiculum unius
vel alterius dissentientis et pro con-
suetudine servanda stantis, decenti
modo declinare valeant, de consensu
R. P. D. Praesulis Basilicae Vicarii
Emmi et Rmi D. Card. Titularis, ei-
dem S. R. C. humillime supplicarunt,
quatenus pro sua auctoritate ad fu-
turas praecavendas quaestiones super
expositis decerneret. Et Emmi ac
Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi
Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas
Aedes VII. Id. Dec. anno superiore
coadunati, visis omnibus, rescribendum
censuere: „Exquisito Voto Magistri
Caer. ponatur in Folio.“ Quum
autem praedicti Canonici suis in al-
legatis addidissent Votum alterius ex
Apost. Caer. Magistris, quod ex sui
natura controversiam omnem de medio
tollit, propterea iterato propositae pre-

ees in altera Ordinaria Congr. hac die
apud ipsas Vaticanas Aedes coacta,
Emmi et Rmi P. S. Ritibus praepositi,
ad relationem subscripti Secretarii,
consideratis omnibus altenteque libra-
tis, rescribendum censuerunt: „Juxta
alias Decreta et praescriptum Caer. Ep.
reponatur in casu SSrum Eucharistiae
Sacramentum pro commoditate com-
municantis populi in alterutra ex la-
teralibus Aediculis, quae non sit a
conspectu chori.“

Atque ita recipserunt ac servari
mandarunt praedicta in Colleg. Basilica.
N. 5028. Die 25. Junii 1845.

Locus seu Capella, ubi singulis s.
Communio distribuenda est, non debet
esse in conspectu altaris majoris sed
in navi seu loco separato, ita ut, quoad
fieri possit, non videatur ab his, qui
missae majori intersunt, ne continue
genuflectere cogantur propter reveren-
tiam SSmi. Caer. Ep. I. II. c. XXX.
num 5.

7) Materia.

Tabernaculum regulariter debet esse
ligneum, extra deauratum, intus vero
aliquo panno albo serico decenter
coniectum. S. C. Ep. 26. Oct. 1575.

Vd.: *Tabernacul. (Ornat.)*

*Ex decretis Concilii Prov. Viennensis
diei 9. Novembris 1858.*

Tabernaculum, ubi ss. Eucharistia
recondita habetur, sanctissimus, quem
orbis terrarum continet, locus est....
Intus et exterius, quam optime fieri
possit, exornetur. (Tit. III. cap. IV.)

Praeter vasa, quae ss. Eucharistiam
actu continent, nihil omnino in eodem
reponatur; neque calices, neque reli-
quia, neque sacrorum oleorum vas-
cula ibi recondantur.

Solicite occludatur; claves, quas
duas habere consultum est, paro-
chus vel ejus cooperator custodiat.

Capuccini retinere possunt taberna-
culum ligneum affabre laboratum.

S. C. Ep. et Reg. 13. Julii 1649.
Vd.: *Visit. SS. Sacram.*

8) In Oratoriis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. 24.; *SS.
Sacramentum* (asservat. in Orat.); *Seminarium*
(habitacul.)

9) Ornatus.

*Ex decretis Conc. Prov. Viennens.
die 9. Novembris 1858.*

Ubicunque Dominus, fons amoris,
panis sub specie adsit, lampas diu
noctuque colluceat, quae fidelibus
Deum praesentem annuntiet atque ho-
minibus recendentibus cultus aliquam
et amoris professionem exhibere pergit.

*Ex decr. Conc. Prov. Colon. die 17.
Maii 1860.*

Lampas ante altare vel turrim, in
qua SS. Sacramentum continetur, con-
tinuo ardeat...

Eo tantum tempore, quo officium
divinum celebratur, lampadem ante
SS. Sacramentum accendi et finito of-
ficio extingui abusus est minime tolerandus,
quem prorsus prohibemus
sub poena amittendi juris et privilegii
asservandi SS. Sacramentum.

*Ex decr. Conc. Prov. Pragens. diei 23.
Septemboris 1860.*

Sanxit Archidioecesana Synodus Pra-
gensis, ut tabernaculum, si e laminis
argenteis aut aeneis inauratis aliave
ratione elegantius haberi non potest,
saltem e tabulis sectilibus, quae hu-
miditatem non gignant, polite tamen
elaboratis et religiosarum imaginum
sculptura ornatis et inauratis decenti
amplitudine construantur. (Tit. V. c. V.
De tabernaculo ss. Eucharistiae.)

Nova, quae in ecclesiis struentur
tabernacula, sat ampla sint, ut in iis
Sacramentum ipsum cum ostensorio

et hierotheca minori seu sacro ciborio commode reponi queat, neque tamen sic in alto vel a fronte seu coronide mensae nimis procul posita, ut ad de-promendam et exponendam Eucharistiam super altare ascendere necesse sit; neve potiorem sacrae mensae partem ita occupent, ut vix in ista, quae ad Sacrum faciendum necessaria sunt, locari possint. Versatilibus, quae hinc inde inveniuntur, tabernaculis antiquorem merito preeferimus Sanctuarii structuram, congruo ostio seu foribus muniti. Quae fores, si artificiosae formositatis causa perforatae fuerint, ab intus pretioso velo obducantur, ne muscis potissimum et araneis accessus pateat. Sit autem tabernaculum etiam intus vel panno serico aut tela quadam pretiosa albi coloris eleganter vestitum vel saltem solide inauratum.

Sit porro bene tutum, serris sat firmis custoditum et continuo clausum, ne ad illud temeraria manus possit extendi: clavis autem inaurata et cordula decenti ornata nullo modo cum aliis clavibus colligetur, nec ulli unquam laico aut aedituo credatur, cum potius ipsius Parochi vel ecclesiae rectoris honorificum sit officium et insignis praerogativa, ut clavem hanc et Sanctuarium Christi pie semper custodiat.

Quia tabernaculum nitido ceteroquin et mundo corporali stratum nonnisi asservandae Eucharistiae inservire debet: intus ab omni alia re vacuum sit oportet, adeo ut neque Reliquiae Sanctorum ibi recondi queant.*)

Quumque ex decreto S. Rituum Congregationis super tabernaculo nec ipsius sanctae Crucis Reliquias collocare et exponere liceat; hinc minime tolerari potest consuetudo superimponendi pictas imagines, sculpturas, vasa

*) Rit. Roman. De ss. Eucharistiae Sacramento.

florum aliaque ornamenta ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat. Imo nec in ostiolo seu ipso aditu tabernaculi talia collocare convenient. Sacrae Reliquiae nullo modo neque super ss. Eucharistiae tabernaculo ponantur, neque una cum SS. Sacramento recondantur, etiamsi ipsius sanctae Crucis particulae sint. (Tit. III. cap. VI. n. 1.)

Essentiale pastophorii ornatum constituant lampades, quae, prout Rituale Romanum loquitur, plures sint, sed una saltem diu noctuque perpetuo colluceat. Ut istud lumen Christi numquam deficiat, jugiter quippe oleo nutriendum: sollicitudinem et vigiliam parochorum omniumque, qui ecclesiis praesunt, paterno affectu obtestamur, illorum conscientiam gravissime onerantes, quorum, quod absit, socrdia vivificum Lumen mundi lumine continuo ardenti venerari nesciat. (Tit. V. cap. V.)

Tabernaculum regulariter debet esse lignum, extra deauratum, intus vero aliquo panno albo serico decenter contectum. S. C. Ep. 26. Oct. 1575.

Ante Ostiolum Tabernaculi SSmi retineri non potest vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum Imagine D. N. in eodem insculpta; posse tamen in humiliori et decentiori loco. N. 3575 ad 10. die 22. Jannarii 1701.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 1. 3.; *Reliquiae* (superimp. tabern.); *Coponaeum.*; *Tabernacul.*, (Materia); *Lampas.*

In tabernaculo ss. Sacramenti esse non debent vasa s. oleorum vel reliquiae vel aliud. S. C. Ep. 3. Maii 1693, 22. Februaris 1593.

Super tabernaculum, in quo asservatur ss. Sacram., nequit exponi reliquia s. Crucis aut alterius ex instrumentis dominicae passionis, adeo ut

ipsum tabernaculum inserviat pro basi. S. R. C. 12. Mart. 1836.

Altare vel locus, ubi repositum SS. Sacramentum, pree caeteris sumptuosius ac nitidius exornandum est. *Caer. Ep.* I. I. c. XII. n. 16.

Praeparandum ornandumque erit ali- quod sacellum intra Ecclesiam (pro repos. SSmi finita processione in Coena Dom.), quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post missam reconendum sit SSnum et in eo altare cum sex can- delabris ac cereis. *Caer. Ep.* I. II. c. XXIII. n. 2.

10) Visitatio.

Vd.: *Visit. SS. Sacramenti.*

TABULAE DEPICTAE SS.

(Venditio.)

Dubitari posset num tabulae pictae, quatenus in Capella venerationi expositae sint, aliquam spiritualitatem aquirant, ut in commercio esse nequeant. Sed si ad *materialia* capellae non pertinet Tabula picta, certe quidem inter sacra Supellectilia erit recensenda. Haec autem vendi posse interveniente venia apostolica definitivit S. Congregatio in *dubio alienationis rerum Ecclesiae* 7. Augusti 1683, ut reperi definitum in lib. 33. decr. pag. 243. (Ex res. S. C. C. diei 22. Junii 1805. *Mathilicen.*)

TALARIS.

1) Delatio in Functionibus ecclesiast.

Vd.: *Visitat.* (de missa celebr.; parochi; presbyteror.); *Habitus clericor.* (§. 1. 5. 6.); *Constitut.* *Clem.* XV. 7. Dec. 1706 in Bull. r. t. VIII. p. 262.; *Sacerdos* (habitus).

Ruben.

(*Conc. Tr. c. 6. S. 14.; c. 12. S. 25. De ref.*)

Prolato edicto per Episcopum in Visitatione peracta de anno proxime praeterito, demandante omnibus ecclasiasticis habitus talaris delationem

tum in ingressu quam in egressu ab Ecclesia ac in exercitio propriorum Ordinum aliquis functionibus ecclasiasticis, poena injuncta suspensionis ipso facto a Divinis sibi met reservata aduersus Sacerdotes caeterosque in sacris Ordinibus constitutos, quo vero ad reliquos inferioribus dumtaxat ordinibus insignitos, sub poena denegationis collationis ordinum superiorum nec non assequutionis Beneficiorum, etiam de jurepatronatus laicali aliquis arbitriis, Canonici illius Cathedralis sub praetextu, quod loci qualitas et ecclasiasticorum inopia neutram ferre sinant ejusdem Edicti observationem, recursum habuerunt ad hanc S. C. pro ejus moderatione.

Desuper Episcopus informans transmisit praefati Edicti exemplar; quod in Summario dabitur ejusdemque observationem comprobare nititur, nem- dum, ut asserit, accomodum amoena- tati loci, verum etiam ecclesiasticorum facultatibus; quocirca dignentur EE. VV. monito Procuratore Capituli re- solvere infrascriptum dubium inter partes concordatum:

An Edictum super delatione habi- tus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu et egressu sustineatur in casu etc.?

S. C. C. resp.: Sustinetur moderatis poenis arbitrio Emmi Praefecti.

Die 28. Julii et 18. Augusti 1708.

Apud Ursayam tom. 5. part. 2. disceptat. 16. num. 68. habetur haec celebris resolutio Sacrae Congr. Episcop. et Regular. in Callien. Synodi 20. Januarii 1720, in qua multa resoluta; et ad rem dicta die 20. Ja- nuarii 1720 fuit Episcopo Galliensi scripta Epistola vulgari idiomate inter alia continens, ut sequitur: „Che precetti a tutti gli ecclasiastici di dover vestire con abiti lunghi fino a' piedi, quando celebrano la s. Messa,